








ΟΥ'ΤΙΣ. NEMO
VL

C. M. R. AD CROTVM RVBIANVM Epi. de Nemine Hutteniano.

Omen adeſt placidũ, pateant Rubiane penates.
  Claude, venit Nemo. Nemo, reclude, venit.
Quis nouus ignotis hoſpes ſucceſſit ab oris?
  Οὔτις πουλύτροπος dicor Homere tibi.
Sum vafer, & Protheus. ſtruo. deſtruo. texta retexo
  Orbica quadratis, candida muto nigris.
Accedit precio velut auro lucida Gemma,
  Artificis chari nobile ꝙ ſit opus.

VLRICHI DE HVTTEN EQVITIS GERMANI AD CROTVM RVBIANVM IN NEMINEM PRAEFATIO.


CCIPE IGITVR HOC TIBI NIhil Crote, quod toto anno scriptũ a me conquestus es, idq; in epistola tua, quodam quasi Tragico ploratu vicies repetis, quasi qui nihil est, ab eo aliquid extorquere liceat, At nunc ipsum illud nihil ad te mitto, & ita mitto, ut Nemine perferente accipias. Quicum enim rectius Nihil q̃m cum Nemine versatur, cum Nemo nihil scribat ac faciat? Sed iam nosse vis vndehoc repente commentũ, Ex peruersa Crote hominũ opinione, Simul tua Tragica epistola. Nam vt tu nihil a me scribi quereris, ita sunt homines, qui siquid scribas etiam aut facias, & ipsum illud & te autorem nihil dicant In ea tempora incidimus, in id vulgi iudicium succumbimus. Si adhuc quid sibi hoc velit Nihil dubitas, priora reuolue, ac quædam vt contigerũt in memoriam reuoca. Periculum fecisti mecũ, quid mereantur, qui optima studia studiosissime sectati sunt, Nempe vt nihil didicisse, & ipsi homines nihili dicantur propalam. Qua in re clementiores adhuc iudices expertus es, q̃ ego, qui post tot annorum meam per Europam peregrinationem, tot aditis periculis, tot exhaustis calamitatibus, nullis non erumnis afflictus, cum tandem ad meos rediissem, quid aliud sperare debui, q̃m homines longa mei expectatione fessos,

aduenienti occursaturos, obuijs manibus excepturos, blanda aliqua pręfatione salutatū amplexaturos, gratulaturos incolumitati meæ, probaturos ꝙ cū patrijs Musis redijssem in gratiam? At paucioribus curę fuerūt hęc, ꝙ̄ reperti sunt, qui me accusarent etiam. Iam enim fama præcesserat quib⁹ studijs quā operā impēdissem. Itaqꝫ reprehendere omnes, ac frustra laborasse, & tempus perdidisse dicere. Atqꝫ eo omniū tandem calculi coniecti sunt, & quod vix credis in patria miser inueni Neminem æquū meorū studiorū iudicem. Illū vide Neminem, qui hoc de se dicit. Nemo refert studijs pręmia digna bonis. Nō aliter, atqꝫ ille ego sim decoctor filius: qui ad porcorū aras & cōmessandas siliquas relegari debeam. Aut non melius sit ita studuisse: ꝙ̄ studuisse omnino nihil. Nam ex æqualibus qui neqꝫ literas neqꝫ natare didicerūt: nihil offendebant. Adeo tutius est, nō studere, ꝙ̄ sic studere. Et hanc quidē impegerunt mihi culpam, ut esset quod duritiei suæ prętextū obtenderent. Tuncqꝫ primū diuagatus est rumor, nihil didicisse me, ac esse nihil, magnis ille quidem autoribus. Nam vbi in illos quis inciderit iactatores leguleos, aut ad hos adpulerit superciliosos Theologistas, uō dico quomodo posset scire aliquid, hoc dico, quomodo posset esse aliquid? Diogenes Cynicus vltro nihil scire vult post eū qui omnia scire profitetur, at esse aliquid contendit. Id quod ego adhuc consequi tot laboribus nō potui Nam cum inter meos versor Equites, haud numeror, ex istis vero indoctis doctis nemo me agnoscit. Ac nescio an alicuius eorum vmbra sim. Ita plane non sentio ipse me,

quoties ſua ſtudia prædicant, ſuā eruditionem, ſua inge-
nia oſtendūt. At vero in me quicquid eſt, omni cōtemptu
contemptius iudicant. Tūc iactantur ab alteris Felini, Bal
di, Bartholi, Iaſones, Accurſij, ſpeculatores, ac id genus
doctorculi, ab alteris vero ſubtilis Scotus. Seraphicus Bo
nauentura, bis ſanctus Thomas, vnice magnus Albertus.
ac irrefragabilis quidam, cuius mihi nomen per incuriā
excidit. Et a tantis magiſtris, tanti diſcipuli, ab iſtiuſmodi
fontibus hi riui ſunt: vt ſciat aliquis: ad Scotū quantū no-
bis reſtet: qui inter ſectatores illius: tam nihil ſcimus: tam
ſumus inerudite eruditi. Quanq̄ tu ſolitus ſis imitari: qui
nos olim docuerūt Colonienſes: & ſyllogiſmis fulminare
ac ſiquando prouocaris: alacriter congredi: opponere: aſ-
ſumere: reſpondere: cōcluſiones ſuſtinere bis triginta non
nunq̄: arguere pro & contra: quem illi nō ſtatim probāt,
q̄ non formaliter conſuis argumenta. Quod genus eſt
illa quæſtio. An acutius aliquid videre potuerit: raptus in
tertiū cœlū Paulus: q̄ in ſua cella cum tautis ſpeculationi
bus indormiret aliquādo Doctor ſanctus: acute vt mihi
videbatur per te diſputata: ſed ab illuminatis Thomiſtis,
qui ſoli cerebrū habent: diſcutienda. Nō magis orto ſole
euaneſcūt minima ſydera: q̄ nos Crote quantocūq̄ con-
uentu; quodā ſe iſtiuſmodi farinæ clamoſo tripudiatore
ingerente obſcuri fimus. Sed audi meū in hac re conſiliū
poſtq̄ mihi ſtomachū mouerūt iſti olim ſuperbi legū di
ſpenſatores: fateor; eſſe aliqd cōtendi: & eo ſtudiū contuli
meū: ac diſpereā ſi vlla alia ratione: q̄ vel vt meorū deſy
derio ſatiſfacerē: vel ipſum illud: quantūcunq̄ nugatoriū

est, quo isti triũphant Bartholistę, assequutus, acceptoq́ꝫ doctrinę titulo, quo decipi vulgus amat, ab illis postea audiri mererer, quod aliter per contemptum non fiebat. Doctorē enim esse oportet nunc, doctũ neq́ꝫ necesse est, neq́ꝫ omnino aliquid est. Quanta literarũ iactura hoc facies aiebat aliquis? Nulla respōdi, quippe impendendũ aliquid succisiui temporis, dũ istas illiteratas literas atq́ꝫ hanc doctrinarum fecem iactare discam. Nam intelligere nullo negocio licet. Sũ enim plane in ea opinione, ut qui in his studijs superbire sciat, & pro tempore ingerere se audeat, eum consumatũ hoc tempore iureconsultũ existimem Quod institutũ, quid refert, quomodo postea im mutauerim, scribere, cum tu illi interfueris Senatui, quo istud factum est consultũ? Ad Bartholistas redeo. Tales sunt qui nũc in auribus Principũ quasi sphongiæ hęrent. Quibus consultoribus respublicę gubernanẽ. Ad quorũ pręscriptũ omnia domi forisq́ꝫ geruntur: Qui soli docti sunt: soliq́ꝫ doctrinę preciũ inueniunt. Quibuscum suũ isti diuites aurũ cōmune habent. Quos solos benignius salutant. Ac nescio an vspiam manifestius stultitię suæ documentum, q̃m in demerendis rabulis prębeant. Quos cũ reddunt purpuratos, ipsi aliquando egent inepti homines, quasi non melior fuerit Germanię status, anteq̃m isti inuaderent, tot voluminibus instructi, tunc cum plus valerent hic boni mores, q̃ꝫ vsquã scriptę leges. Aut non adhuc tanto quęlibet ciuitas prudentius guberneẽ, quanto ab ea longius absunt hi glossatores Ac illos mihi intueatur aliquis apud Balthicũ mare Saxones, q̃m incunctan-

ter, ac nulla iniuria ius dicunt, non consultis quidem illis quos dixi leguleis, verũ suo illo ab antiquis more, cum nos hic viginti annos, inter triginta sex Doctores pendeamus. Qui quomodo persuadebunt mihi doctrinę opinionem, cum tot annos, tot perlectis voluminibus inuenire quid iuris non possint? Obscure igitur intelligimus quis alat istas in Germania contentiões? istas discordias? Quis intestinis bellis cõnectat Principes? Rebusp. tumultus inuehat? omnia sedicionibus impleat? Ex his quendã noui, insignem asinũ, quod mihi videtur, quod ipsi, iure consultũ, qui aliquando simul audientibus nobis Papię illud iuris columen Iasonem, cum is pręlegeret, ac multis citatis autoribus subijceret, & Alexander de Imola ac sequaces, conuersus ad proximũ quæsiuit, quis ille esset sequaces. Putabat enim ex glossatoribus vni sequaces nomẽ esse. At idem ille, qualis qualis est, nuper ex Italia redijt libris ac vestibus splendide instructus, & inter Doctores numeratur, ac me qui melius capio Iasonem, post tergũ relinquit. O mores, O studia, O temporis huius capita, quin istas abstergimus nebulas? & aliquando verũ intuemur. At valde interim ex suis sibi isti cõmentarijs placent studiũ alioquin tractabile, omni caligine inuoluentes, ac Cymerijs plane tenebris obscurius reddentes. Quorũ vt densionem quis nebulam, atriorem noctem libris digestorũ admolitus est, ita pro classico autore celebratur, & in admiratione habetur. Cuius enim lucubrationibus nõ antefertur Accursius quidã, ex cuius tenebricoso ingenio hic offusus est Iuriciuili fumus? Non iniuria igitur mise

rebat te mei olim, cui vt ſtudioſus eſſem, ad huiuſmodi ſtudiū diuertendū erat. Tam inconſulta ſunt hominū ſuper humanis ſtudijs conſilia. Quare ut mihi videtur, qui ingenuo ſunt animo ac recte libero, omnia malint, q̄ in has ſe demittere ſordes. Hæc ego accuſare in illis, quanq̄ iniquiſſima ſunt, non auſum, niſi repetita bis veniæ petitione, prefatus, dicturū me, quod nemo ſentiat, ac nihil dicturū. Sumus enim nihil Crote, nec prius deſinimus nihil eſſe, q̄ aliquā nobis in hac Comœdia perſonā aſſumam⁹ Quanq̄ niſi obeſſent mihi literę, poterā ſatis reuerenter Eques Germanus ſalutari, & tu Sacerdotis appellatione ſatis honoratus eras, niſi & pręter Equeſtrem dignitatem eſſe putaretur, literas diſcere, & penitus nihil ſaperent, qui ſe valde hoc ſeculo putant ſapere. Hi ſunt, qui cum literas ignorent, conſiliū tamē nobis dant quid diſcere oporteat & ſtudiorū cenſores agunt, quorū a titulis pręmia metiuntur, ſic fere querentes. Quid eſt iſte? quibus reſpondere licet. Doctor eſt. Magiſter eſt. Baculaureus eſt. Aut ſi nullū iſtorū attigit, nihil eſt. Nuper ex quodā meorū quęſitum hunc in modū eſt, ab iſtius profeſſionis homine: curioſo illo quidē ſalutandis amicis: qua me honoris pręfatione ſalutari oporteat. Tum meus reſpondit: nondum aliquid eſſe me: hoc volens ſcilicet homo ſimplex: nullo inſignitū titulo: quod ſatis fuit huic ſalutatori. Hodie enim non qualis quiſq̄ ſit: ſed quo vocetur nomine: quęritur. In caſu ac pecunijs omnia inſunt. Virtuti propriū eſt nihil Illud proh Ghriſte nihil: quod nunc optimus quiſq̄ vocatur. Cur igitur ſapere quis velit: quando ſapere extrema

hoc tempore dementia eſt? Hinc mihi hoc Nihil excidit, atq; hic prodit Nemo, nullis ille quidem calumnijs: nullis obnoxius contumelijs, plenus fiduciæ, qua elatus, hoc audet Nihil in lucē adducere, impune credo ad omnes euentus. Quia qni nemo eſt, quid obſtat, quo minus loquatur hoc ſuū nihil? Quod ſi non probabunt qui vocantur Thelogi, ſuo more fecerint. Quanq; probabunt forte, cum aut nihil eis placeat, aut quædam magis q̄ nemo putet nihil. Quibus aliquid meū nōnunq; oſtendens Ecce vobis nihil inquio, ab eo, qui per vos nihil eſt. Ibi tū accurate legunt inueſtigantes, nū hęreſim ſapiat, & ſtatim ſiquid minus placet, quanq; ſit hoc nihil: enotant. Inde in articulos errata digerunt. Sunt enim penſiculandis hominum ſermonibus acuti valde iudicij. Vbi ſiquid offendit, frontē contrahunt, labra exporrigunt, naſum ſuſpendūt, nonnunq; ad ignem, ad ignem ingeminant. Quam colluuionem mouere tutum non eſt. Non magis q̄ cum ſentibus luctari, aut pręſens aliquod vltro ſibi malum accerſere. Apud hos cautū eſt nequid temere loquamur, metuendū genus hominū, ac fari omnia ſolitū, audire uihil. Quis liberius enim carpit vitia nunc, q̄ iſti ſapientes? Imo quis petulantius quoquo vult inuehitur? Si quæras, ipſi interim quomodo viuant, palliū & cucullum oſtendere ſatis habent. Quæ ſi nihil dicas, ibi tum in articulos tuum referunt nomen. Probarunt tot inquiūt Pontifices, ac priuilegia proferunt, tibiq; negociū faciunt, malum minitantes, ni Palinodiam occinas. Longū eſſet ſcribere tibi, quoties illis iam diſplicui, donec conſenſi in hoc Nihil,

quod quia nihil est: nihil ab illis fit: & omnino cōcessum est: nihil dici aut neminem dicere: hac lata lege: nihil dixeris: aut nemo dicere audeat. Atq; ita me tueor: prudentius: q; vbi quendam olim ex his Crabronem vehementer irritaueram, cū dixissem, nihil scire nūc Theologos, quod non discere quis vel sine præceptore possit. Quod meū piaculare verbum, quo dij boni supercilio exceptum est? Quæ conclusiones, quot syllogismi, quanta Enthimemata sequuta sunt? Obtundebar infœlix. At ille iratus dominus virgines deprecatrices poscere videbatur, vt mihi propicius esset. Cui omnia concludenti, omnia concessi, herbam quod aiunt porrigens, in hoc etiam assensus, vt supra vulgarem ipse hominum sortem, numinis loco sit, ego nihil sciam, nihil sim. Quodq; doctus ipse fulgeat quasi splendor firmamēti, ego in his delitescam tenebris meis, vbi loqui nihil liceat. Capnionē ab animi magnitudine omnis admirabit posteritas, qui descendere cū his in aciem, ac pugnam capessere ausus sit, & mira hoc fœlicitate, prȩter omnium opinionem. Qui siqua forte laborasset, tunc cum multis cōmune mihi fuisset hoc nihil. Omnia debentur Maximiliano principi, qui se furentibus opposuit, non passus euerti optimū virum, & de hoc Imperio suis consilijs suaq; industria sic meritum. Secus Theologistȩ Parrhisiēses iudicarūt, sua maxima infamia, suoq; dedecore. Quod recordanti mihi, subit, quid in Christianā religionē inuexerit, hæc trecentorum annorū Theologia. Postq; enim discessum est, ab illa veteri & Germana, tum vero cum studijs declinauit simul religio, ac

illa increbuit, omnium pestium pestilentissima superstitio. Quæ sua caligine, ita verum dei cultum infuscauit, vt nescias Christi sint, quæ obseruas, multa, an alicuius noui dei, qui hoc sibi vendicet vltimũ mundi tempus. Habent tamen pessimorum librorum magnos aceruos. Ac dum istos negligunt antiquos, & recte doctos autores, in his versantur nugamentis, & in scripturarum sordibus, non secus ac in luto Scarabeus deliciantur. Necq̧ tunc vilius quid nostris studijs tractare se putant, quoties pro concione sordidam aliquam fabulam, aut anile deliramentum, vulgi crudelitate abusi, deblaterant. Qui cum tales sint, quicquid tamen extra suam farinam est, contemnunt ac aspernantur. Cumq̧ omniũ insulsissimi sint, eos tamen esse se contendũt, quibus semel Christus dixit. Vos estis sal terræ. Quare & sapientes credi volũt, ac Apostolis quicquid olim datum est, iure hereditario ad se trahunt, & in compellationis præfatione, Magistri nostri, mira & inaudita ambitione dici gestiunt. Forte quia confessiones audiunt, ac consilia Regum & Principum ediscunt, deinde muliercularum quocq̧ secreta nimis auide rimantur, vt se iccirco plus omnibus sapere credant: & non immerito a discipulis Magistri: a filijs patres (proh pudor) salutentur. Qua de re facetissimam tu olim ad me Epistolam. Sed quid ego hæc? Quasi hoc tempore Theologi non sint? Minime. Sed ꝙ tam nihili homines in Apostolorũ locum succedant: in eius rei indignitatem aliquis Nemo exclamare potest: omnia inuerti, omnia confundi & misceri, Omnia secus

ac ſint haberi. Nihil ſibi conſtare. Neminem aut a morũ integritate bonũ, aut ab eruditione doctũ iudicari, ſed alterum cucullo oſtendi, alterum titulo vtcunq; acquiſito exprimi. Tu Crote qui acutius omnia intelligis, quid vidiſti tempeſtate noſtra Chriſtianũ magis, q̄ illos nuper Eraſmi labores? aut quid contra magis inuiſum his Thomiſtis? vt ſuſurrabant, vt fremebant, vt ſtringebant ſupercilia, vt naſos ſuſpendebant. Ilia rumpi his credas, quoties tale aliquid viderint. Ita alienis virtutibus inuident peſſimi homines. Ita conſcientia ignauię ſuæ cruciantur nebulones. At tunc ſtrennui ſunt, qnando in ſuo illo regno, publico ſuggeſto, apud indoctũ vulgus, ac leuiſſimi ſex? turbam declamant. Ibi lacerant, ibi inuidentię ſuæ ſtimulos exerunt, ac illud eiaculantur terribile fulmen, & mirũ euomunt venenũ, non in eos in quos neceſſe eſt, ſed quos ſibi moleſtos eſſe vbilibet contigit. Alexandrum ſextum noſtra memoria Pont. Maximum dixiſſe ferunt, cum potentiſſimo Rege aut Principe malle ſibi bellum eſſe, q̄m cum vno ex fratrum mendicantium ordinibus. Omnia enim habere eos, qui nihil habent, ac inexpugnabile id eſſe hominũ genus, quacunq; certandi via adoriaris. Neſcio acutiſſime hæc conſyderem, an vero dolore meo latius efferar: hoc certe puto: neminem non ciuiliorẽ reperiri victorẽ: ſiquos diſputando concludendoq; vinci contigerit; q̄ hos prępoſteros Chriſti apoſtolos. Quid enim crudelius vnq̄ ſenſiſti: q̄ vbi quempiam arripuerint eorum: quos hereticos vocant? Tunc quippe omnia Chriſto: pręter vnam miſericordiã concedũt. Et quod illi pro

prium maxime est: hoc tum longissime ablegant. Quin etiam adeo insolentes se gerunt: vt nemo nõ damnari malit: q̃ ab his consequi veniam. Qui cum oppugnandis nobis: quorum patrimonijs aluntur ventricosi Hypocritæ: adeo feroces se exhibeant: nullus tamẽ reperitur: qui religionis zelo in Turcas eat: fidẽ Christi prędicaturus. Aut illos saltem in medio nostrũ Bohemos vt erudiat: quos illorũ vitio secretos ab ecclesia Pius secundus Pont. Max. non obscure queritur. Profecto vbi nihil opus est: ferociunt: vbi faciundũ periculũ: ibi se subtrahunt profidi pugnatores: ac quietem allegant: quæ debeatur religioni. Ad quid igitur istas putem conferre scholasticas disceptationes: tot vijs: tam diuersis inter se opinionibus concinnatas: vnde hęc nomina: hos vsurpant titulos? Hieronymus a piscatoribus sumi: quod fidẽ Christi astruat: oportere credidit: & dialecticam abesse iussit: quam si his ademeris: quid reliqui facies? Iterum dico igitur Crote: qui ingenuo sunt animo: ac recte libero: his faciendũ hoc tempore: vt omnia malint: q̃ vulgi inseruire iudicio. Ita passim erratur: ita nihil sumus: ob id quod boni esse studemus: ac nihil scimus: quia aliquid recte scimus. Quod si tibi videtur: & in ea es sententia: vt magnopere non cures: quid istiusmodi probent iudices: perpetuo erimus nihil. Ac suauiter interdum ridebimus hominũ mores. De me sic habe: certum est non obsequi his: qui me Doctorem esse volunt. Quorum proxime quidam: adde inquit nomen rei. Si possem respondi rem postea nomini. Nec illos moror: qui mihi nulla virtutis opinione: sed precio

quęſitis titulis pręferuntur. Ac libenter nihil ſum: vt ne in hoc impingam ambitionis ſtudiū: & vel latum digitū ab inſtituto diſcedam meo. Tu interea Crote: quandoquidem & ipſe mecū nihil es: hoc nihil ſatis habe: quod pellegas. Et illud tecum cogita: eum quoq; qui nihil faciat: aliquando facere aliquid: & qui nihil ſcribat: ſcribere multum ſæpe. Vale: & me ama: a quo te immortaliter amari nō obſcure ſentis. Deinde hūc audi Neminē.

NEMO LOQVITVR.

Quiſquis ades/ſi forte nouos mirabere luſus:
Ne rigida faciles accipe fronte iocos.
Sed qua læta probis ageres conuiuia menſis.
Quoq; decet vultu res variare graues.
Inter ſe mutata placent. Non omnibus idem
Eſt locus, haud poſcunt omnia tempus idem.
Et quandoq; leues veniunt ad ſeria riſus:
Quo iucunda graueis temperet hora dies.
Eſte alij triſtes ſemper: ſemperq; ſeueri.
Qui ſapis/ alternas omnibus adde vices.
Scilicet hic modus eſt. Tu qui mea noſſe laboras
Fata: Cleanthæum pone ſupercilium.
Qui loquitur Nemo eſt. loquitur Nihil. at tibi ſiquid
Inſonuit: dicas Neminis eſſe Nihil.
Sum nemo. viuam: nec ne: cui dicere promptum eſt?
Non etiam promptum eſt hoc mihi. viuo tamen.
Nemo agitat vitam. tu quid te contrahis? an quod:
Si viuit Nemo: viuere non potis es?

Ille ego sum nemo: de quo monimenta loquuntur:
Ipse sibi vitæ munera nemo dedit.
Nemo fuit semper. nemo isto tempore vixit:
Quo male dispositum dij secuere chaos.
Ante ortum Nemo est aliquis, Post funera Nemo.
Nemo quid inuito fertue facitue deo.
Omnia nemo potest. Nemo sapit omnia per se.
Nemo manet semper. Crimine nemo caret.
Nemo fugit mortem. nemo est a fine superstes.
Nemo exors certi nascitur interitus.
Nemo animos nouit superum: sensusqꝫ latenteis.
Nemo quod est: quod erat: nemo futura tenet.
Nemo salutiferas præter seruabitur vndas.
Nemo fidem Christo non habet: & bonus est.
Nemo sorte sua viuit contentus. & intra
Fortunam didicit nemo manere suam.
Nemo sacerdotum luxus: vitamqꝫ supinam:
Nemo audet Latium carpere Pontificem.
Nemo in amore sapit. nemo est in amore fidelis.
Nemo alij propior q̃m studet esse sibi.
Nemo vagas numerat stellas. ipso ordine nouit
Nemo, quid in terra, quidqꝫ feratur aqua.
Nemo potest dominis simul inseruire duobus.
Nemo quod, & quoties expetit illud, habet.
Nemo bonus, nemo est ex omni parte beatus.
Nemo simul potis est omnibus esse locis.
Nemo omnes posita Germanos lege coercet.
Nemo iugum Rheni gentibus imposuit.

Nemo per innocuos mores emergit. & aulæ
Sontica prosequitur munera nemo pius.
Nemo Quirinalem dominatu liberat vrbem.
Nemo laboranti subuenit Italiæ.
Nemo feros bello Turcas adit. & bona curat
Publica priuato munere nemo magis.
Nemo certa sequi sibi conscius optima legit.
Nemo audet subitis rebus habere fidem.
Nemo errore vacat: nemo sibi cauit vbiqꝫ.
Nemo placet cunctis: inuidiaqꝫ caret.
Nemo quæ placeant stupido facit omnia vulgo.
Nemo refert studijs pręmia digna bonis.
Nemo voluptatem nullis languoribus explet.
Nemo renascentem sedat auaritiam.
Nemo est in terris Germano Cęsare maior.
Nemo deum pariter diuitiasqꝫ colit.
Nemo vagam stabili fortunam temperat orbe:
Nemo graui casus sub ratione leues.
Nemo quas congessit opes: secum auferet istuc:
Mortuus vnde semel nemo redire potest.
Nemo maris guttas/numerumqꝫ recenset arenæ.
Nemo dat æstiuis nomina pulueribus.
Vertere nemo vices/infectum reddere factum:
Nemo potest lapsos huc reuocare dies.
Et quæ pręterea numero foret edere longum.
Quid valeat Nemo: nemo referre potest.
Vna meum censet leue turba domestica Numen,
Seruorumqꝫ cohors: & puerile genus.

Horum est in famam tam prona calumnia nostram,
Vt nihil exoptent q̃ mihi obesse prius.
Nil moror hæc, ὀλίγοςτε καὶ οὐτιδανός καὶ ἄκικυς.
Opprbrio infœlix vlteriore petor.
Atq; vbi peccarunt, neq; enim peccasse fatentur,
Transponunt labes in mea terga suas.
Quicquid ab his culpæ: quisquis committitur error,
Si quæras quis agat: omnia Nemo facit.
Amissum est aliquid: nemo abstulit. excidit aurum:
Nemo habet. At nullas Nemo cupiscit opes.
Quid quod fraude mihi grauidam obtrusere ministrã
Tot famuli: quanq; haud tacta sit illa mihi?
Quærendus puero pater est: Nemo obtigit. At tu
Si me audis: alium stulta require patrem.
Ecce infracta iacent hesterno vasa tumultu:
Olla. lebes. patinæ. vitreolusq; calix.
Et varię signis phialæ. Samiumq; toreuma.
Et carum infausti cupula pignus heri.
Oenophorumq; capax. & aduncę cantharus ansæ.
Sympiniumq; ingens. Herculeusq; scyphus.
Fracta iacet lampas. iacet vnguentaria pixis.
Quæq; grauis gelidas vrna ministrat aquas.
Sustulit hæc eadem fragileis insania testas.
At cocus ad solidum lęsit ahena focum.
Læsit & euersos tripodas. tenuesq; quadrantes.
Neglectusq; suo follis in igne perit.
Abiectumq; alio pistillum. abaciq; reuulsi.
Nec relocata suis stannea vasa locis.

Et quærenda diu ruptis cochlearia thecis.
Fuſcinaq;, & cæcę cura lucerna viæ.
Decidit excuſſa ferrata ſagitta pharetra.
Ante ſuos manant vina refuſa cados.
Hinc cyathi. tinæq; graues. & aquatilis obba.
Illinc Hetruſco ſeria amata Numæ.
Tympana rupta iacent. iacet amphora. nec tenet apte
Pulueruleuta ſuos bibliotheca libros.
Cum ſparſos hinc inde colum fuſoſq; viderem,
Hæc etiam dixi culpa futura mea eſt.
Vos quoq; culter, acus, radij, ſubtegmnia, forfex,
Turpiter irata ſparſa iacetis hera.
Ebria ſecuris domini petulantia ſeruis
Nil curare domum ſuadet: opeſq; domus.
Quos petulans inter proſtrato ancilla pudore:
Nonnihil in rerum perditione facit.
Ipſa penum ſtruit. & patinas inducit opimas.
Quæq; ſibi ſollers multa reſeruat herus.
Vina dehinc promit: dehinc rarũ quicquid ad vſum eſt:
Arte cibi varium docta parare genus.
Eruitur ſimili tucetum nobile furto.
Craſſaq; furtiuo ſumina toſta foco.
Hic bibitur totas menſura æquante lagenas.
Lætaturq; meo libera turba malo.
Et varia exequitur ſub multam gaudia noctem.
Gaudia non vno pernicioſa modo.
Multa refringuntur titubanti cum pede ſeruus
Poſt epulas & poſt pocula ſtrata petit.

Pressit in ollatum grauidum caput ille caminum.
Nec cubitum lapsi pulsa fenestra tulit.
Semireclusa canis subiit cellaria: & illic
Quod superest auido deuorat ore cibi.
Hæc quoq; deposito venit fortuna canistro.
Et quæ præterea diruta multa iacent.
Ipse domum tandem rediens herus: anxius ambit
Discere vastatæ singula damna domus.
Quo seriem quærente mali: tegor indice primo.
Efficiorq; omnis criminis autor ego.
Criminis autor ego. Quid enim quis dicere posset
Confestim breuius: q̄ mala Nemo facit?
Quis ego pro meritis etiam benefacta rependo:
Illorum subiens corpore quodquod onus.
Et siquid mandauit herus curæ atq; laboris:
Ni faciam infœlix omnia: Nemo facit.
Nemo curat equos. Nemo huc discursat & illuc.
Pro domino Nemo est anxius: atq; domo.
In me tuta fides. audet committere lecto
Neminis: vxorem qui cupit esse probam.
Non tamen est mirum: quenq; hos inuadere mores.
Non adeo exemplo: qui facit ista: caret.
Multa licent multis: postq; semel hostis Vlysses
Supposuit sceleri nomina nostra suo.
At tu si dederis veniam mihi candide lector:
Quod fuerit nimium fabula longa. Vale.

Οὔτις ἔλεγεν Nemo dicebat.

VLRICHVS DE HVTTEN EQ.
Iulio Pflugk Equiti Salutem.



VT tu quidem valeas, multorum crebro ad nos relatione perfertur. De statu Germaniæ, nescio an identidẽ tu intelligas. Proinde breuiter accipe. Primũ varij sunt hic motus, verũ ita occulti, vt vix aliquando suspicione aliquid assequi liceat. Deinde maximas res agitans, plurimos hoc tempore Germaniæ proceres huc protraxit Cęsar. Si procedit, quod ille molitur, nihil adhuc pigere nos debet horũ temporũ. Sin aliquid intercedet, quo minus expergefiat Germania, ille quidẽ merebitur gratiam, qui hæc conatus est, verũ nos aut in fatũ, aut in illam Homericã Aten reijciemus culpã. Certe iucundiss. hic omnibus spectaculũ ob oculos versatur. Tot principes iuuenta simul & corporis specie pręstãtes Tanta Comitũ ac Equitũ multitudo, flos scilicet Germanię nobilitatis, vt qui hos intueat̃, formidandos magno pe Turcas nõ putet. Quod si hodie tantũ cerebri est Germaniæ, quantũ viriũ, ausim Orbi terrarũ minari iugum. Faxit Deus Opt. Max. vt sibi cõsulant hi, a quorũ cõsilijs omnia pendent. Quid aliud optare enim debemus, q̃m vt nunc maxime agnoscat se Germania? Agit hic legatus sũmi Pontificis, in cuius mandatis est, excitare in Turcas bellũ. Quã causam egit oratione, quæ qualis sit, videbis, vbi editam ad te transmisero. Exigitur viritim pecunia, quã in expeditionẽ insumere oporteat. Quid admissuri sint Germani, adhuc in deliberatione versatur. Si tempus est, vt nos dij respiciant, neq; Ducũ est Iuli, neq; militũ.

inopia. Ipſe mihi optima propono, & ſpem concipio nõ exiguã. Fœcundus eſt hic conuentus. Nam & Regẽ Ro- manorũ parturit, & meis literis ac ſua virtute clariſſimũ per Germaniã Principẽ ALBERT. Archepiſcopũ fęcit Cardinalem. Ac Chriſtophorũ Brũſuigiũ in Archepiſco patũ Bremenſem extulit, & Caſimiro Marchioni ex no- biliſs. Bauarorũ domo nuptã conciliauit. Eadem ſi bellũ Turcis inuehet, tum fœlices nos, quibus neq; prius neq; poſterius naſci contigit. Mea ad Principes exhortatio nõ editur in lucem, q insunt quædam, liberiora q̃ ferat hęc ętas. Noſti quã in partẽ ſoleã παρρυζιάζειν. Sed non eſt in genuati locus. Petit & cõtra irruptiones Tartarorũ auxi lia Polonus per legatos. Ac quiddã eſt hic etiam Gallis negocij. Tum ab Hungaris orator eſt Hieronymus Bal bus. Quod mihi ſume placet, minori apparatu noſtri, q̃ ſoliti ſunt alijs conuentibus agunt, ſiue ob annonæ diffi- cultatẽ, ſiue q in multis mihi reſipiſcere Germania videt. Quanq; eſt adhuc mira veſtiũ luxuria, a Gallis ſumpto exemplo, quos præter patriũ morem emulari in hoc cer tamus. Et ſtrennue bibitur, nondum ſanitatem accipien- tibus, qui rectis ſemper monitionibus reclamare ſolent. Vt bene agantur omnia, obſtinatiſſime ſtudet Cęſar. Ipſe mihi negociũ his diebus feci, diſcurrendo, ambiendo, ap prehendendo, dum optimũ quenq; ex aulis Principũ in partes Capnionis traham. Quanq; huc vltro illi conce- dant, nec iã opus ſit parare nobis amicos. Ipſa cauſa emor tuæ ſimilis eſt. Nihil enim audit, niſi q Comes Herma- nus de Neuuenar Hogoſtratũ fertur Colonia expuliſſe,

ꝓpter impurũ nebulonis figmentũ, in quo hominẽ ꝓſci derat. Ex Gallia ſcribũt Faber, Budęus, Ruellius, & Copus, nihil iſtic eſſe Capnionis nomine celebrius, & Theologiſtis ademptã omnẽ penitus ſpem. Vos in Italia quid agitis? Aut quod ipſi quoq; incendiũ conflatis? Sed ad illud iterũ venio Principũ decus ALBERTVM. Quod præter Romanũ morem factũ omnes putant, gratis illi miſit galerum & purpurã Leo. X. tam ob perſuaſas ſibi multorũ cõmendatione hominis virtutes, q̃ vt gratificaretur puto Cęſari, qui ALBERTO mire fauet. Damus hoc pietati ipſius, & propenſo in bonos omnes ſtudio. Caleñ. Auguſti galerũ ſumpſit ille, apponẽte legato Pontificio. Iucundũ fuit id ſpectaculũ, maxima nobilitatis frequentia facto ſacro, ac ingenti omnis generis hominũ circumfuſa multitudine. Ipſe Cæſar a ſacris domũ reduxit ALBERTVM, deinde munera miſit, regiã lecticam, equos, & tapetes opere ſimul ac materia admirabiles. Iuxta hæc Leonis Maximi donũ, gemis, auro, ac margaritis intextũ pileũ, & enſem deaurata vagina. Sequentibus aliquot diebus Magnates officiũ fecerũt, ad illũ venientes congratulando, ob noui honoris acceſſionẽ. Deus bene vertat ac ſpem foueat meam. Neq; enim poteſt ille non charus eſſe dijs, cui tantus breui tempore honorũ cumulus, non ambienti etiam ſeſe offudit. Timothei fortunã dixeris, de quo illud aliquando diuulgatum eſt, εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ De me ſic habe. Adhuc in ALBERTI Principis aula exerceor. Scripſiq; per negocia quantum licuit præter Orationem ad Principes exhortatoriam, Dialo-

gos aliquot, inter quos est de vita aulica, non omnino contemnendus arbitror, quem nunc edere paro. Nam hic composui, Stromeri Medici instinctu, qui me singulariter amat, & quem ego vicissim vnice colo. Nemo reuixit, & ad Crotum mittitur. Super quo nugamento debes Italorum iudicia explorare. Erasmus Basileæ agit, noua iterũ cudens. Philippus Melanchthon præter ætatem eruditus iuuenis Vuittenbergam accersitus est, non illiberali salario Græcas literas vt doceat. Quo etiam qui Hebraica prelegat quærit. Thomas Anshelmus Hagenoui Pliniũ vna cum indice typis excudit. Magna est studiosis omnibus cum barbarie lucta, spe ingenti, fore vt peruincamus, ac literæ vigeant. Iam enim despectius audiuntur magisterculi, & recta se vbiqꝫ studia excitant. Hæc volui ne ignorares. Ipse aliquid ad me vicissim ex Italia, præsertim de statu Bononiensi scribito. Crotum cõmendo tibi, vt pro tua in doctos homines benignitate obserues. Præterea ex me salutabis istic Io. Mariam Iurecõsultũ, & Sauromanũ Silesitanũ cum alijs omnibus nostris. Ipse optime vale, ac me ama. Augustę Vindelycorum. IX. Kalẽ. Septembris.

¶ Impressum Augustæ in officina
Millerana.

MAXIMILIANO AVSTRIO CÆSARE.